21175

SPLENDOR
GLORIÆ ÆVITERNÆ,
GENEROSI OLIM, ac SPECTABILIS DOMINI,
D. JOANNIS GAUDENTII ZACHERLA,
CONSVLIS CRACOVIENSIS,
SACRÆ REGIÆ MAIEST: SECRETARII,
in Ternis eius Sideribus Avito MONOCEROTI,
ad metam immortalitatis prælucentibus;
Vindice meritorum famâ
PERENNANS:



ATQ; DVM EI,
IN ECCLESIA ARCHIPRESBYTERALI,
B. MARIÆ VIRGINIS in Circulo,
Iuſta Funebria perſolverentur,
ad perpetuam tanti Viri, & Patroni ſui
MEMORIAM,
A
JOSEPHO GASPARO MAIERANOWSKI,
Magiſterij Doctoratûs in Artibus Liberalibus,
& Philoſophia LICENTIATO,
Luci publicæ
CONSECRATVS.
Anno Luminis de Lumine Nati, nube carnis humanæ velati,
1696. Die 9. Maij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

SPLENDOR GLORIÆ ÆVITERNÆ.


Emo tam fausto sidere vixit;
vt ex hodiernis Phœbi blanditijs,
Crastinum sibi lumen posset polliceri.

Nulli certa dies;
Etiam dum medio terra incalescit die, eripiunt subito nubes,
cælumq; diemq;:
dumq; ardentior futurorum zelus, solicitæ spei distendit filum;
vitæ stamina rumpit, invida humanis conatibus Proserpina.
Superba Triumphatorum Majestas,
Triumphales inter ignes quidem lucem quærit;
sed non hoc nitore ferales eludit pyras.
Excelsis illi Mausoleis dum inferuntur,
tot quidem inter tædas medij, tenebras fugant;
sed funebrem Mortis Vmbram non effugiunt.
Mundani splendoris, an squalloris æstimatio,
vbi summum invenerit;
cùm nec sistere, nec regredi valeat, interitum quærit.
In ipso ingentis spei, & honoris meridie,
in æternam clauduntur lumina noctem,
postquam vltima letho damnaverit hora,
veneritq; summa dies, & ineluctabile fatum:
tantò acriori ictu,
quantò longioris pœnas fulgoris, exigit à miseris.
Funesta metamorphosi,
Splendor in fumum, Purpuræ in syrmata, palmæ in cupressos,
currus triumphales in vrnam desinunt:
eò solum splendida;
quòd majori dum cadunt rudere, famosius relinquunt bustum.
Vitæ humanæ Lux,
quantùm mortalibus distet ab vmbris,
Mors sola fatetur:
quæ omnia sub *leges vocat atra suas.*
Vindicat Te tamen, ab hac tenebrarum sorte,
Nullo delebilis ævo, ac in cinere vivax,
Rectefactorum Splendor.

Nobi-

GENEROSE OLIM, ac SPECTABILIS DOMINE,

D. IOANNES GAVDENTI ZACHERLA,

Consul Cracoviensis, S. R. M. Secretarie,
Alternas, inter umbras lucemq; , nescis vices:
qui cum Tui memores alios merendo feceris,
obscura oblivionis nubila, nobilibus illustrando gestis,
communem mortalium noctem, in splendores vertis.
Alijs quidem inter lucernarum agmina, lychnorumq; fumum,
ultimus in funere fulgor est;
ut ministro Vulcano condantur:
qui sub tenebris latitantes cælo teste non vixerunt.
Te vti Divinior mentis honestæ illustraverat fax,
& excelsior factorum amplitudo, à privati laris exemit caligine;
ita aridos effugiens *vna rogos* Magni nominis gloria vindex,
Æternitati sine fuco inseret.
Inocciduum perennaturi Tui nominis Lumen,
Ipsa non fatuis rumorũ ignibus, aut modicũ fulgẽtibus evanidæ ostẽtationis depicta meteora,
sed perpetuo per ceras maiorum deducto fulgore radiantia,
portenderunt sidera.
nisi pulchrius duceres, præsagiũ non tam accipere, quàm implere.
Quis ambiget cum splendoribus natum, qui ex avitorũ viscere siderũ prodieras
his tamẽ splendere solis, parùm autumabas; nisi intaminatis Virtutũ Tuarum
præniteres fulgoribus.
& genus, & famam & quæ non feceras ipse, vix Tua gesta putans.
Avito Tuo Monoceroti,
non ad Hircaneos recessus damnati saltus,
sed Laurentes campi primæva præbuerunt pascua;
omnia factorum consiliorumq; momenta, in laurus cessura ominantes.
Grandem immortalitatis pergere viam, per Poloni Orbis latifundia egressus,
quid aliud celsitudine animi Tui, quàm splendores dedit
inocciduos meritorum.
Fixa tua noluisti sidera esse;
ut magnorum exemplo luminarium,
ope, consilio, pronus & beneficus in omnes,
omnium vtilitati promptiùs inservires:
quorum ab Hesperio Cælo egressio, Sarmatico sublimata Polo,

Turrium Ternioni cesserat in coronam.
Hinc Aquilæ Polonæ Cor, Sceptrorum Custos, Regiarum gratiarũ
Compendium,
inviolatâ pro Deo, Rege, Regnoq; fide, Turris fortissima,
ex qua mille *Clypei pendent* armatura fortium,
Orbis Sarmatici aux Cracovia,
ut celsiùs assurgeret, Tuum excelsum animum,
summis Cælo tenus extulerat honoribus;
ut ad Hyperborei Orbis axem, Nobilitatis accenderent meridiem,
Gentilitia Tua astra serenavit:
Consularibus exornando Curulibus,
tanti regiminis tanquam Cæleste pondus imposuit,
ex humero Te Atlantem cognoscens.
Dignus hic Cornigero Tuo campus bene merendi contigerat;
in quo præeuntibus cunctorum votis, comitante plausu,
palmare decus ubiq; acquireres, vel faceres;
quidquid de dumetis negotiorum attigisses.
Indignari Magnis Viris fortuna audet,
cùm ijs ardua objicit.
Honorum quippe fastigia, ut montium vertices,
Cælum quidem & Iovem, sed non sine tonitru tangunt.
Pectoris infracti Virum, ut faceret rigida Virtus,
per prærupta abijt;
sideribus tuis non dissonâ sorte:
quorum in summo meliùs dignoscitur splendor.
Audijt Orbis, Vidit Vrbis facies, sensit cunctorum vtilitas,
molem sollicitudinis, sapientiæ responsa, vitæ exemplaria.
Jn sapientissimo Senatorum Metropolis istius Areopago, quidquid protuleras:
Cyrrhea secreta movente Deo, certius fuit.
Publicis privatisq; cõsilijs Cõsus, justitiâ Aristides, æquitate Phociõ,
quidquid præceperas, exemplo probasti.
Expeditum in curas pectus, concepta simul & absoluta probarunt negotia,
arduis perficiendis, mente tam idoneâ;
ceu consilia rem expectarent, vt ex ea nascerentur.
Septies repetitas Vrbis Ausoniæ Orbisque secures,
Marium sibi gratulatum fuisse non invidemus:
Certiores, Proconsularem dignitatem plus sibi plaudisse,
quod

quod pectus invenerit Tuum, inquo magnificentiã suã explicaret, ac semper suas quadrigas revocante Phæbo, renovaret, omnium quidem vti plausu, ita stupore,

sed tuorum siderum regulari motu.

In ævi Tui gloriam, subsequentis, exemplum datus, Patris Consulisque miscebas officia.

Operum tuorum celsitudinẽ nec extolere volueras, nec monstrare opus erat. quæ superant encomia, & sub cunctorum obtutu cum sint, vincunt silentia Memphitici laboris paratu, Rhodijs Colossis, septizoniorum pinaculis, gloriosius Tibi immortale Polo inserit nomen, distingvendis inconstantis temporis procellis, sursum subducta

Cracia Pharos:

quæ dum horas resonat, nullam horam, sine tui recordatione patitur præterire.

Grave visum est, temporis decursus leviùs pendi; cui omne punctum in pondere fuit.

Inter mortifera acerbæ luis contagia, vix spirans Vrbs; spiritum quem retinuit, Tibi debet.

Vel hoc ipso, inocciduum Tibi vendicasti gloriæ lumen: qui in ipso pene occasu, ejus splendorem servaveris.

Vt cunq; illa, lethales hos levabat æstus; cùm fæcundior largitatis Aganippe, vberiùs Monecerotis Tui, quàm Pegasi incessum sequeretur: sideraq; repararent tua, quidquid corruptus everterat àér.

Ardentior pro hoc Latio Romulus, Asylum erexisti; quo tutius pateret refugium, quos dura hæc supplicia infestarent.

Fœcundus pauperum ager, copiosam sementem, infinitâ nunc votorum rependit messe.

Felicia illa auri damna; quæ sic intereunt, vt Deum relinquant debitorem.

Eminet tantæ Vitutis tuæ Monumentum, ceu sublime Statori Deo, formam servi accipienti erectũ Capitoliũ,

Orphanotrophium de Saxia:

in quod promerita, ad calculos revocare nolo, nam cum vectigales æternitati feceris annos, diem præterijsse dolens; quã non benefaciẽdi calculo designasses.

Divitiorem Amaltheæ Cornu, in Vnicorni Tuo dedisti affluentiã.

B Sidera

Sidera tua, pabula flammis, ab inferioribus non sorbendo,
charitatis ardorem, splendorem consilij, & tot occultas munificentiæ
influentias, etiam non poscentibus offerebant:
extra fortunam ponendo, quid quid in cummunem detulerant vtilitatem.

Hinc cætera Mansvetus:

hoc unum violentiæ explicuisti genus,
quo omnium devincens amores, pectora mancipares;
libertatem vendentibus, qui acceperant beneficium.

Fabricios Cvriosq;,

revocatos, aut superatos in Te non miramur:
qui, ut siderum tuorum puriorem explicares splendorem,
densiorem evitabas halitum;
vt è procellis mundi, in Continentem citiùs traijceres,
in vita continentissimus permansisti.
Multis quidem numerosa de alijs trophæa surgunt,
Tu domitor Tuipsius gloriosius erexisti:

Certus,

illam cæteris antestare lauream,
quam victor animus perceperit ex seipso.
Altius iam virtutum arcana rimari nolo,
quibus non ostentatrix modestia, Timantis Velum prætendit.
Elogiorum Tuorum summus Apex, sed non terminus est,
Genitrix Genitoris sui MARIA:
Cui cum sol in trabeam, Luna in scabellum,
Tua quoq; sidera in Coronam cedunt;
per tot votiva anathemata, dotationis insignia, & piorum laborum impendia.
Amplius splendorem tuum lucemq; non definies,
dum Te solis prænuntia Aurora Consurgens,
ab occasu vindicabit:
Quæ Tibi
Supremum vitæ crepusculum, in clarum beatioris Vitæ mane vertat:
Vt Craciæ Vrbis olim Columen, nunc splendor,
perenni immortalium meritorum luce,
cuncta clarius etiam post fata serenans,
In splendoribus Æviternæ Gloriæ refulgeas.



